

tempore postea fuit institutum, vt narrat Iustinus. Sed tamen in huiusmodi permutatione & transportatione rerum, multæ difficultates acciderunt. Subtilisati homines vsu monetæ inuenere, quæ esset instrumentum permutandi ad inuicem naturales diuitias, quibus de per se subuenitur naturaliter humanæ necessitati. Nam ipsæ pecuniæ dicuntur *Artificiales diuitiæ*: contingit enim his abundantem mori fame, sicut exemplificat Aristoteles de Rege cupido, qui orauit, vt quidquid ipse tangeret, aurum esset: quod Dii annuerunt, & sic fame periit, vt dicunt Poetæ. Quoniam per pecuniam non immediatè succurruntur indigentia vitæ, sed est instrumentum artificialiter adiuuentum pro naturalibus diuitiis leuiter permutandis. Et absque alia probatione clarè potest patere, quod numisma est valde vtile bonæ Communitati ciuili, & Reipublicæ vsibus opportunum, imo necessarium: vt dicit Aristoteles V. Ethicorum. Quanquam de hoc dicat Ouidius:

*Midas.*

*Effodiuntur opes irritamenta malorum,  
 Jamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum.*

Hoc enim facit peruersa malorum cupiditas, non ipsa pecunia, quæ est humano conuictui multum accommodata, & cuius vsus per se bonus est. Inde ait Cassiodorus: *Pecunia ipse quamuis vsu creberrimo viles esse videantur, animaduertendum est tamen, quanta à veteribus ratione collecta sunt.* Et in alio loco dicit, quod constat *Monetarios in vsu publicum specialiter esse inuentos.*

2. *Variar. 10.*

*De qua materia debeat esse Moneta.*

CAPVT II.

**E**T quoniam moneta est instrumentum permutandi diuitias naturales, vt patet ex capitulo præcedenti: conueniens fuit, quod ad hoc tale instrumentum fuerit aptum: quod fit, si sit atrectabile seu palpabile, & leuiter portabile, & quod pro modica eius portione habeantur diuitiæ naturales in quantitate maiori, cum aliis conditionibus, quæ postea videbuntur. Oportuit igitur, quod numisma fieret de materia preciosa & cara, cuiusmodi est aurum. Sed talis materia debet esse in competenti abundantia. propter quod vbi aurum